

DE  
PROVIDENTIA DIVINA

ERICA

PROFANOS ANTE NATVM SERVATOREM

COMMENTATIO TERTIA

28

QVA

DIEM FESTVM

PENTECOSTES

SVMMA MENTIS RELIGIONE  
CELEBRANDVM

INDICIT

ATQUE

AD ORATIONEM SACRAM

A. D. VI. MENSIS IUNII AN. CIO IOCC XXXXV. AD HOR. XII.

IN ILLVSTRIS AVGSTEI TEMPLO

HABENDAM

PERILLVSTRES ILLVSTRESQVE SVMME ET PLVRIMVM VENERABILES

PRÆNOBILISSIMOS DOCTISSIMOSQVE PATRONOS AC FAVTORES

ATQUE ILL. AVGST. CIVES GENEROSISSIMOS ET

NOBILISSIMOS

HUMANISSIME INVITAT

IOANNES GEORGIVS VVALTHER

SERENISS. DVCIS SAXON. CONSILIA. PROFESS. PVBL. ORD. HISTOR. LITTERAR. HUMANIOR.

PHILOS. MORAL. AC POES. BIBLIOTHI. ET RECIT. ADI. ACADEM. GYMNAS.



uperiori commentatione, quam alteram de prouidentissimo erga Hebraeos Numine conscripsimus, commorationem incepimus populi DEI in Aegypto enarrare, eamque ponere indubium et clarissimum prouidentiae documentum. Duxit autem DEVIS sapientissimus gentem a se lectam, veraeque religionis assertorem, in Aegyptum, cum aliis de caussis, tum in primis, ut qui populus, vel regum astutia, vel omnium bonorum affluentia, ad summam opinionum morumque peruersitatem inclinaret; ac consequentibus temporibus vniuerso fere orbi terrarum initia artium et scientiarum esset daturus: mature ad veram religionem admirandam cognoscendamque nolens volens raperetur. Deinde cum Aegyptium regnum tunc maximum in terris esset, constituit Numen rerum gerendarum hoc amplissimum theatrum, ut miraculorum, diuinitus edendorum a Mose, memoria deferri ad remotissimas gentes posset. Reliquas taceo caussas, quae vel in coniectura positae sunt, vel abunde ex scriptura sacra patent. De bestiarum cultu diuino iam illa monui commentatione, eum tempore, inter Iosephum et Mosem interposito, ortum esse, probabilemque eius rei caussam ex Plutarcho attrui.

Quod vero ad imperium Aegyptium attinet, indubium est, iam ante Mosis aetatem sublime caput tulisse inter Africæ, Asiae atque Europæ regna. Est praeterea prorsus verisimile, Hyscos, quos multi cum Israeliteis confundunt, ante Iosephum, Patriarcham, Aegypto expulsos esse: vti etiam a nobis probabili constitutione ostensum. Atque post abitum horum Hyscorum, Aegypti, vel plurima pars, vel omnis regio, studio Iosephi atque artibus vni primum domino est subiecta, deinde mirifice exculta auæaque, ut compositis domi rebus, consequentes reges maiores spiritus ferre, ac, finitimiis regnis sub potestatem redactis, etiam ad remota animum appellere possent. Hoc vero primum omnium dicitur confecisse Sesostris, quem iam Sesostrum vocant, iam Sesoisin, iam Sesonchin, iam Sethosin 1), iam Rhamsen, iam vero Ramesin 2). Est in vniuersa Aegypti historia, hoc Sesostris, celeberrimi regis, imperio nihil illustrius nihil dignius consideratione: quo rege nemo ante Ptolemaeos

lon-

1) vid. historia vniuersalis societate Anglic. conscripta Tom. I. p. 518. ed. longe doctissimi Baumgartenii.

2) vid. Valesius ad Tacitum Ann. II. p. 251. ed. Io. Frid. Gronouii, et Camp. Vitrina in Comm. ad Esaiam Cap. XVIII. p. 550. a. b.

longius protulit regni fines, nemo plures edomuit gentes, maiora nemo togae bellique facinora edidit. Aegyptii etiam huius factis praesertim apud maximos Imperatores vel Persarum 3) vel Romanorum, gloriati sunt 4). Terrarum tunc cognitarum si non dominus, at certe victor, erat: supra communem adeo regum sortem vehementer sublatus. Cum enim adhuc Syrorum, Chaldaeorum, Babyloniorum, Graecorumque nominia ignobilia essent: Tum Sesostris in consequendo orbis terrarum principatu et elaborauit, et felix eusaf ex animi sententia. Aethiopibus primum atque Arabibus subactis, Asiae vietria arma intulit. Rursus gentibus intra et extra Taurum domitis, veluti bella ex bellis serens, ad usque Istri littora penetrasse dicitur 5). Forsitan ab hac aetate Sueorum in Germania pars, Isidi, Idolo aegyptio, sacrificauit: nam hoc fecisse ipsos Tacitus docet 6). Diodorus Siculus 7) inscriptionem integrum ex monumentis Aegyptiacis adserit, quae stelis insculpta diu in Syria superfuit,

ΤΗΝΔΕ. ΤΗΝ. ΧΩΡΑΝ. ΟΠΛΟΙC. ΚΑΤΕΣΤΡΕΨΑΤΟ  
ΤΟΙC. ΕΑΥΤΟV. ΒΑΣΙΛΕUV. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΚΑI. ΔΕΣΠΟ  
ΤΙC. ΔΕΣΠΟΤΩΝ. ΣΕΩΝCΙC

In Asia vero minore, quam inferiorem dicit Herodotus, columna visa, etiam Herodoti aetate, hac inscriptione, sacris litteris aegyptiis adornata:

ΕΓΩ. ΤΗΝΔΕ. ΤΗΝ. ΧΩΡΗΝ. ΩΜΟΙCΙ. ΤΟΙCΙ. ΕΜΟΙCΙ  
ΕΚ ΤΗΝ ΣΑΜΗΝ 8).

Fieri enim potuit, ut Graeci, omnia Aegyptiaca admirantes, consequentibus temporibus Aegyptiacae Sesostris inscriptioni hanc interpretationem adderent, quae tamen decursu multorum saeculorum vel aeris, vel hominum incuria, rursus videtur deleta. Si quis ingenio abundare hoc in loco vellet, non abhorrenti ab omni probabilitate ratione posset ostendere, Iosephum scriptorem 9) has forte Sesostris columnas vidisse, atque ex Iudeorum falsa traditione habuisse pro Sethi, patriarchae, colu

( 2

mnis

3) Herodotus II, no. p. 127. ed. Gronouii.

4) insigne exemplum apud Tacitum in Annal. Lib. II. p. 251. iam adducta.

5) Herodotus L. II. 102 - 111. p. 124-128. Strabo I. XV. p. 1007. ed. Almelou.

6) Tacitus de moribus Germanor. C. 9. Tom. II. p. 603. add. Illustr. Mæcianus in Comm. rerum German. lib. II. p. 49. de hoc cultu integrum inseruit dissert. Commentarii Acad. Parisiens. Abbas Fontenu, Memoir. Tom. VII. p. 129

7) Diodorus Siculus Lib. I. p. 35. ed. Rhodom.

8) Herodotus II. p. 126.

9) Ioseph. in antiq. Iud. Lib. I. C. 2. p. 11-12. ed. Hauerkampii.

### XXIII.

mnis. Alta de Sethi Stelis coniectura est apud Anglos historiae auctores 10).

Tantus vero rex qua vixerit potissimum aetate, id omni-aeuo acutissimi historicorum diligentissime quaesuerunt: nonnulli vero recentiores fere aetatem consumferunt hac in re inuestiganda. At vero res incredibilibus semper fuit salebris impedita: quae non nostra demum aetate sunt obiectae, sed iam natae tum, cum nonnulli graeci scriptores adres, temporibus suis diuidendas, primum considerunt. Tunc enim illa, de qua alio in loco exposui, systematum condendorum libido, summos etiam historicos chronologosque transuergos egit. Plurimi enim non ad vetusta temporum monumenta, quae in manibus erant, sed ad eam, quam adornauerant ipsis, et quam veluti vnicam et praestantissimam filiolam ex osculabantur, temporum compilationem, et quamcumque conuenientiam, omnia componebant.

Manetho enim, qui iam, regnante Ptolemaeo Philadelpho, primus dagescit res gestas Aegyptiorum, videtur res ex antiquis repetuisse monumentis, atque non tam malo, vt multi putant, animo in hoc negotio versatus esse. Eleganter eum defendunt praestantissimi historiae vniuersalis conditores Angli 11). Verum consequentes bene multi graeci scriptores omnia corruperunt. Diodorus Siculus, qui vniuersalem condidit historiam primam, quae aetatem tulit, fidem datam non praefat, male interpretatur auctores, adulterat annorum numeros, regumque consecutiones: quod vel ex ratione patet, qua Heroditi de Medis exponit sententiam 12). Ipsi Christiani scriptores, qui optimo animo ad consignanda tempora accesserunt, tamen putasse videntur, temporum ordinem fere in historici arbitrio possumus esse. Exemplo rem confirmabo. Ab exitu populi DEI ex Aegypto ad conditum a Salomone templum numerat scriptura sacra 480. annos 13). Nulla hoc in loco codicum varietas. Interim praeter Eusebium nullus hanc temporum computationem probat. Iosephus habet iam 592. iam 612. annos; Clemens Alexandrinus 567; Iulius Africanus 740; Theophilus Antiochenus 602; Chronicum Alexandrinum 630; Nicephorus 634; Georgius Syncellus 659; Cedrenus 672, vt reliquos taceam, quos omnes, sed alia de caussa, excitat Alphonsus des Vignoles 14). Horum singuli peculiare sibi constituunt temporum systema: fortasse, ne, si  
con-

10) histor. vniuers. anglic. Tom. I. p. 171. in Not.

11) eod. historia T. I. p. 491. seqq.

12) Diodorus Siculus Lib. II. p. 118. cum Herodotō collatus Lib. I. C. 95. p. 40.

13) I Reg. VI. 1.

14) Alphonsus des Vignoles. Chronol. sainte Tom. I. p. 177. 178.

consentiant cum scriptura sacra, vel cum Eusebio, de hisce annis, in nouofystemate fingendo destituti ab ingenio videantur.

Idem in historia factum Aegyptiaca. Neminem veterum vidi, qui in describendo temporum ordine cum altero conspirauerit. Singuli condunt singula systemata: iam addunt iam demunt alterius descriptioni. Et quod dolendum in primis, in ipsis Manethonis dynastiis recensendis vehementer discrepant. Contendantur modo inter se triumviri illi, Iulianus Africanus, Eusebius 15), et Iosephus 16), qui se omnes optima fide Manethonis dynastias tradere dicunt: quanta est discrepancia cum in regum nominibus, et consecutionibus, tum in imperii duratione, tum in annorum, dynastiis tributorum, summa.

Quid ergo? Dissensus veterum studia nostra retardabit? immo vero excitare debet. Verum, ut est apud Terentium; si hac non successit, alia aggrediemur via: repudiandum puto consilium, in tanta sententiarum pugna dynastiarum beneficio sistema condendi; nouosque censeo temporum characteres querendos, qui nostro quidem iudicio, sequentes sunt, et qui, si non indubiam, certe summopere probabilem, reddent sententiam nostram.

1. *Omnis in uniuersum antiqui scriptores unanimis voce consentiunt, Sesostrem ante bellum Troianum vixisse.* Strabo, 17.) Aristoteles, de quo deinceps, Diodorus Siculus 18), Herodotus 19), Arrianus 20), alii 21), hoc confirmant. Idcirco reiicienda Io. Marshami 22), et Isaaci Newtoni, sententia, qui multo posteriorem hoc bello Sesostrem faciunt 24). Si enim in re, quae in facto posita est, neque habet repugnantiae, scriptorum consensus non est attendendus, illicet, actum est de vniuersa historia, fenestraque aperta cupiditati quiduis fingendi atque audendi.

2. *Aetas Sesostris, quae adeo ponenda est ante Troianum bellum, ex profanis scriptoribus nullo modo figi potest.* Turbatae sunt dynastiae Manethonis, atque adeo filum Ariadnaeum praebere non possunt. Soli supersunt Herodotus et Diodorus Siculus, in historicis, proprie vereque dictis, nu-

b. 3

me-

15) apud Georg. Syncellum in Chronograph. p. 54. seq. ed. Iac. Goari.

16) Iosephus contra Apion. L. I.

17) Strabo Lib. I, p. 66, et Lib. XVII, p. 1156. edit. Almelou.

18) Diodorus Siculus Lib. II. sub init.

19) Herodotus Lib. II. Cap. 102. seqq. cum 112. coll. p. 124-128.

20) Arrianus apud Photium cod. 58.

21) Quos adducit Iacob. Perizonius in Originibus Aegyptiac. C. VIII. p. 143. ed. Dukeri.

22) Io. Marsham in Can. Chron. p. 22. 248. 375. 376. ed. Lipsiens.

23) Summa sententiae Nevtonianae eleganter tradita in historia vniuersali Angl. Tom. I. p. 522. in Not.

## XXVI.

merandi, qui de Sesostris rebus gestis dedita opera exponunt. Atque hi autores ante Olympiades, atque adeo ante bellum Troianum, tempus modo per *yeeras*, sive generationes, describunt, quibus generationibus nihil est obscurius, nihil incertius. Ut enim taceam, apud graecos potissimum autores iam notare centum annos, iam quinquaginta, iam triginta : ipse Herodotus *yeeras* usurpat iam de singulis regibus sibi inuicem succedentibus 24), quibus tamen singulis diuersus est tribuendus annorum numerus ; iam vero auctor est, tres generationes efficere centum annos 25), iani vix viginti tribus annis continet 26). Similis est varietas in Diodoro Siculo. Saepe tribuit generationi triginta annos ; saepe per hanc singulos intelligit reges, saepe hominum aequalium aetatem 27). Tam anceps autem putandi ratio nullum computationis fundamentum praebere potest. Rursus ambo, Herodotus et Diodorus Sicus, non integrum regum aegyptiorum seriem ducunt, sed ex horum numero, quos inclauisit rebus gestis constabat, vel, quod malim, quorum notitiam acceperant a sacerdotibus, eximunt, atque enarrant; vt adeo certi nihil ex his cogi possit.

Quando igitur hac in epocha figenda demum omnia ad scripturam sacram sunt referenda: age, huius beneficio, admodum probabilem constituamus temporum concentum; praemissis quibusdam obseruationibus, quibus huic rei via est munienda. Est autem fere consentiens Chronologorum vox, bellum Troianum cadere in Iudicum tempora, in primisque lepta; quibus iudicibus vsus est populus DEI, vt inter omnes constat, ante reges lectos, cum iam rerum suarum sedem in Palaestina collocasset. Perlustrerimus amplissimum historiarum campum, a scriptura sacra nobis ante oculos positum, inde a patriarchis ad vsque Hebraeorum reges, qui Troiano bello multum sunt inferiores, et videamus, quod potissimum tempus Sesostris rebus omnium optime sit aptandum.

3. *Scriptura sacra omnem Palaestinæ vel secundam ut aduersam fortunam, quæ insignem aliquam intulit mutationem reipublicæ hebraicæ, diligentissime enarrat, atque illud ab ingressu populi DEI in hanc terram ad usque reges; quin ad servitutem babylonicam; vt tuto, hoc in temporum tractu, a Codicis sacrifilento ad ipsius rei negationem duci conclusio possit.* Atque hoc est acerrimum telum in Iac. Perizonii, aliorumque quam plurimorum, sententiam, qui Sesostrum huic temporum seriei innectunt. At populus Hebraicus, inquit Iac. Perizonius 28), tunc temporis, cum Sesostris debellaret Palaestinæ

24) Herodotus Lib. VI. C. 98. p. 365.

25) Herodotus Lib. II. C. 142. p. 143.

26) Idem Herod. Lib. I. C. 7. p. 4.

27) id adcurate docet Iac. Perizonius in Originibus Aegyptioris C. XI. p. 210 - 214.

nae incolas, fuit in potestate Cananaeorum; igitur ad ipsos non pertinuit haec calamitas, sed ad suos dominos. facillima est Responsio. Quid enim dominorum in communi seruitio? Ambo et Cananaei et Hebrei, si vieti sunt a Sesostris, sine dubio servi Sesostris facti sunt. Cur vero nouam hanc seruitutem Aegyptiacam, a sex reliquis plane diuersam, hisque omnibus longe atrociorem et diurniorem, scriptor sacer tam alto premit silentio: cur eius ne minimam fecit significationem, qui etiam Melopotamicae meminit, nec crudelis nec diurnae seruitutis. Poslunt etiam consuli, quae doctissimus Iamesonius adu. Perizonium monuit 29). Idem de tempore censendum, quod effluxit ab egressu ex Aegypto ad ingressum populi in Palaestinam. Si enim Sesostris hac aetate superauit Asiam, atque adeo Arabiā infestis armis peragravit, cur non aggressus est populum DEI, commorantem tamdiu in Arabia petraea, cur propter calamitatem ab hoc Aegyptiis illatam, vindictam non sumvit? Atque haec petunt destruuntque sententiam Iacobi Vſterii 30), qui horum temporum aequalem dixit Sesostrum. Eandem silentii, in scriptura sacra adhibiti, vim ostenderem in temporibus ab Abrahamo ad Iacobi ingressum in Aegyptum, si quem recentiorum scirem subactum chronologicis rebus, qui Sesostrum, Iosepho Patriarcha anteriorem, esset auctor dicere.

4. Necesse igitur est, ut Sesostris temporibus, quibus commoratus est populus DEI in Aegypto, illigetur. Sic primum idonea reddi causa potest silentii, in facris litteris obuii. Hac enim litterae res omnes tacent profanorum regum, nisi quibus insignis facta est rerum hebraicarum communatio. At Sesostris res gestae nihil mutarunt in publica re Israelitarum. Hic enim a patre acceptam populi peregrini seruitutem continuat, atque ad consequentes, ut sit, transmittit reges. Porro conspirant optime principes profanorum scriptorum. Aristoteles, cuius etiam in temporum ordine constituendo nobilitata est per Callisthenem industria, 31) Sesostrum multis temporibus ante Minoen Cretensem vixisse auctor est 32). Sed hic Minos, secundum Marmora Arundelliana, quae optima praebent ante Olympiades temporum monumenta, 214 annis floruit ante suscep-

ptum

28) Iac. Berizonus c. l. p. 307. 319 - 325. Sed sibi non constat p. 319. vult Cananiticam p. 328. maault Moabiticam p. 330. seq. rursus pro Cananitica militat.

29) Iamesonius in notis ad Iac. Berizonus Origin. Aegyptiacos p. 131 - 135. quas tamen omnes facere meas non ausim.

30) Iac. Vſterius in Annal. ad A. M. 2520. p. 17. ed. Bremenſi.

31) vid. incomparabilis vir ingenii et doctrinae Perilliſtris lo. Guilielmus de Berger in Stromateo academico p. 198.

32) Aristoteles Politior. L. VII. C. 10. Op. Tom. II. p. 547. ed. Geneu.

## XXVIII.

ptum bellum Troianum 33) : vt adeo, omnibus animo agitatis, aetas Se-  
sostris secundum Aristotelem in tempora, a nobis fixa, incidat. Etiam  
Manethonis sententiam cum hac coniungi posse iam Illustrissimus ostendit  
Renatus Iosephus Tournemine 34), vbi egregie distinguit inter euentus  
celebriores regnorumque vicissitudines ; atque inter seriem regum atque  
annorum numerum. In priore esse Manethonem sequendum, at non in  
posteriore. Interim alia coacti sumus via et ratione in demonstrando  
vti, atque diuumiri fecerunt excellentissimi, Freretus 35), et Tournemine.  
Freretus vtitur Aemilii Surae auctoritate, atque Assyriorum regum later-  
culo ; cuius vtriusque quam lubricum sit fundamentum, iam aliis in locis  
a nobis atensum est. Tourneminianam autem rationem, quae huius  
Epochae demonstrationem iusto acrius in dynastiarum aegyptiarum com-  
pellit dumeta, nostram facere non potuimus. Vtrumque sua hypothesis  
eo deduxit, vt 430 annos commorationi Israelitarum in Aegypto tribu-  
eret. Campegius Vitringa nostram probat sententiam, sed non demon-  
strat 36).

Sed finienda nunc est haec commentatio , cuius argumentum, adcu-  
ratiu euoluendum, et materiae vniuersae ratio, et summi in litteris viri  
suaserunt. Occasioneipm ipsi praebuat festus Pentecostes dies, oratione  
sacra in Gymnasio illustri concelebrandus. Qui dies, vt ea, qua decet,  
animi summa religione obeatur, grauissimam materiem suppeditauit No-  
bilissimo et diligentissimo Ciui nostro MARTINO CHRISTIANO IVNACKIO,  
Gerstevicensi Thuringo, optimi parentis, *Viri plurimum reverendi, Georgii*  
*Gottl. Junackii, Pastoris Gerstevicensis et Nelsbicensis* in vicinia nostra, bo-  
nae spei filio. Exponet nimirum

de sapientia DEI , qua et Messiam hoc die in templo Hiero-  
solymitano publice declarauit, et legatos eius constituit:  
cui orationi vt interesse benevolentissimi velint Perillustres Illustresque  
summe et plurimum venerabiles, Praenobilissimi Doctissimique Patroni  
ac Fautores, humanissime rogamus. P. P. VVeissenfelsae ad Salam a. d. V.  
Junii Aer. vulga. c10 10CC XXXXV.

33) Nam secundum hoc Marmor praestantissimum incidit Minois aetas in Ann. 151. Aerae Atticae; Initium  
vero belli Troiani in an. 365. eiusd. Aerae. Patet hoc ex Marmoribus ipsiis a loan. Marshamo Cano-  
ni Chronic p. 252. et 325. ed. Lipsiensi insertis.

34) Renatus Iosephus Tournemine in elegantiss. dissert. Menochii Tom. II. insert. p. 445. seqq.

35) Freretus in Memoires de l'Academie des Inscriptions Tom. VII. p. 622.

36) Campegius Vitringae Hypothypof. historiae sacrae p. 29-31. quae 1708. Franeq. publicata est: et Comment.  
ad Esai. Cap. XVIII. p. 549. seqq.

---

VVEISSENFELSAE, LITTERIS RICHTERIANIS.

01 A 6627



56

DAF VD 18



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



DE  
**DENTIA DIVINA**  
ERICA  
NTE NATVM SERVATOREM  
MENTATIO TERTIA

28

QVA  
**EM FESTVM**  
**ECOSTES**  
MENTIS RELIGIONE  
LEBRANDVM  
INDICIT  
ATQUE  
**TIONEM SACRAM**  
VN AN. CIO 10CC XXXXV. AD HOR. XII.  
TRIS AVGSTEI TEMPLO  
HABENDAM  
RESQVE SVMME ET PLVRIMVM VENERABILES  
OCTISSIMOSQVE PATRONOS AC FAVTORES  
VGST. CIVES GENEROSISSIMOS ET  
NOBILISSIMOS  
MANISSIME INVITAT  
**GEORGIVS VVALTHER**  
AR. PROFESS. PVBL. ORD. HISTOR. LITTERAR. HUMANIOR.  
IS, BIBLIOTH. ET RECT. ADI. ACADEM. GYMNAS,